CLASSIS III.

INFLAMMABILIA.

Antimonium.

Stibium ſtriatum LINN. *S. N.* p. 172. Antimonium ſulphure mineraliſatum ſtriatum WALLER. *Mineral.* p. 238. n. 4. ex minera in Hungariae, Bohemiae, Saxoniae, Sueciae fodinis reperiunda.

Antiqui virtutem ei adſcripſerunt adſtringentem, refrigerantem & leniter cathaereticam; adeoque ad excreſcentiam in carne cohibendam, vlcera ad cicatricem perducenda, ſordes & vlcera oculorum expurganda, ſanguinis e cerebri membrana fluxum ſiſtendum, & ambuſta ſananda externe applicarunt DIOSC. De interno vſu ſilent. Quem poſteri dein inſalubrem & venenatum declararunt (IAC. GREVINI *Tr. de Antim.* Antw. 1571. 4. GVID. PATIN *lettres chois 1. 18.*) adeo, vt legibus publicis ſub graui poena ille interdictus fuerit in Gallia annis 1566 & 1609. At falſiſſimam hanc ſententiam poſtea exploſerunt alii, inter quos KVNKELIVS fere primus eſt *Labor. chym.* p. 432. ſiquidem vis eius tuta eſt diaphoretica & ſanguinem purificans, vnde in diuerſis grauibus morbis a ſanguinis & lymphae impuritatibus ortis, vt ſcabie, lue gallica, rheumatiſmis, malo iſchiatico (*A. N. C. vol. IX.*) arthritide fixa

(KVNKEL *l. c.*) & vaga (*Act. Acad. Mogunt. I.* p. 318.) insigni cum fructu adhiberi potest a granis quinque vsque ad scrupulum; etiam in stupore & dolore ossium post saliuationem orto (*Commerc. Nor.* 1732. p. 129. 1733. p. 10.) & in paralysi artuum a frigore *ib.* nec non in paralysi a febre relicta (LENTIL. *Iatromn.* p. 15.) & in saturnina (KLEIN *select. medic.* p. 145.) Laudatur etiam a GEOFROY in rachitide infantum, contra vermes, in obstructione glandularum, & fluore albo mulierum, incipiendo a grano vno & adscendendo successiue ad scrupulum dimidium *Mem. de l' Ac. de Par.* 1734. p. 433. Adiungi possunt aliquot grana lapidum cancrorum, vt ne nauseam, quod interdum fit, sumentibus creet. In decocto ad aliquot vncias praescribitur.

Ambra.

Electrum opacum tenax LINN. *S. N.* p. 167.

α) Ambra grisea. Ambra binis vel trinis coloribus variegata. β) Ambra nigra. Ambra vnicolor nigra WALLER. *Min.* p. 266.

Substantia glabra, solida, leuis, bituminosa, saporis & odoris suauis balsamici, e maris fundo, in India orientali praesertim, proueniens, tandem condensata ad superficiem aquarum & littora proiecta. Inter medicamenta confortantia, & quae debilitatum systema neruosum roborant, facile principem locum obtinet. Proptereaque optimum praebet medicamentum cephalicum, & contra vertiginem, apoplexiam, & syncopen adhibetur, Memoriae etiam imbecillitati medetur; & HOFFMANNO teste, in epilepticis morbis omnium antepilepticorum tum roborantium, tum sedatiuorum vires longissime superat *Medic. syst. T. IV. P. III.* p. 21. Datur a grano vno vsque ad

ad tria. Variis insuper rebus, ad gratum odorem conciliandum, admiscetur.

Asphaltum s. Bitumen Iudaicum.

Bitumen subfriabile atrum LINN. *S. N.* p. 168. Bitumen solidum coagulatum WALLER. *Min.* p. 254.

Substantia bituminosa, dura & fragilis, ex atro purpurascens cum splendore. E terris nonnullis, saepius e fundo maris molli vel liquida consistentia prodit, atque dein sensim in eam, quae ipsi propria est, solidam substantiam condensatur. Maria Chinae regno vicina adeo eo abundant, vt per notabile spatium vndique fere tecta ipso obseruentur. E monte Carpatho etiam defluit. Neocomum Heluetiorum, Neufchatell, optimum largitur. Vtplurimum adulterinum est, e pice nauali & oleo quodam minerali empyreumatico concinnatum. Externe discutit, & sanguinem coagulatum ac tumores dissoluit, & vlcera sordida conglutinat. In suffimento vteri strangulationi medetur *A. N. C. vol. II. obs. 195.* Interne pilularum forma colicum dolorem leuat. Aegyptii olim cadauerum, quae nobis Mumiae dicuntur, balsamationi impenderunt.

Cinnabaris natiua.

Hydrargyrum rubrum pyriticosum LINN. *S. N.* p. 171. Hydrargyrum sulphure mineralisatum, minera rubra WALLER. *Min.* p. 285. in Hungariae fodinis.

Vim ei veteres adscripserunt adstringentem, & ad cohibendum sanguinem, ad ambusta, ac inter oculorum medicamenta praescripserunt DIOSC. Priori seculo, & quod excurrit, virtutes eius extenderunt ad varios, morbos,

obſtructas glandulas, dolores quoscunque capitis & artuum, lymphae vitia, motus conuulſiuos & epilepticos; vt CRATO magnetem epilepſiae vocauerit. At pro inerte medicina eam hodie declararunt, praeter BOERHAAVIVM, CARTHEVSERVS *diſſ.* QVELLMALZIVS *Progr.* HVNDERTMARKIVS *Progr.* Quamquam vero ipſorum argumenta, quae attulerunt, perſuadendi vim multam habent, non credo tamen, egregios illos viros viam rectam iniiſſe, qua inertia alicuius medicamenti demonſtrari poſſit, quum non experientiae lanci eam expoſuerint, ſed ratiociniis & experimentis chemicis ſaltem, argumentis profecto in arte noſtra ſaepe fallacibus, vſi ſint. Quisquis recte demonſtrare velit, nullius virtutis eſſe cinnabarin, ille ſaltem habet eam ſolam, & magna doſi, & diu ſatis exhibere. Id ego vero aliquoties quum fecerim, negare non poſſum, eam prorſus inefficacem eſſe. Puella decem annorum, per integrum annum & amplius conuulſionibus nocturnis correpta, aduerſus quas multi multa remedia perperam attulerunt, liberata illis fuit ex toto per integram hebdomadem, quum per duas antea hebdomades ipſi quotidie bis ſcrupulum dimidium deuorandum dediſſem. Quid in ceteris morbis poſſit vel non poſſit, nondum expertus ſum. In ſuffitu ptyaliſmum excitat; quem vero modum luem veneream ſanandi adhuc omnes fere damnarunt. (ASTRVC.) Occurrunt autem tres diſtinctae cinnabaris natiuae ſpecies, granulata, in fragmentis, & puluerulenta. Prior optima eſt pro vſu interno, ſi ante lotione & ſublimatione repurgata fuerit. Altera iisdem encheiriſibus opus habet. Tertia prorſus reiicienda eſt, quum fere ſemper minio adulteretur abs lucripetis.

Petroleum.

Bitumen liquidum fuſcum LINN. *S. N.* p. 168. Bitumen liquidum c aſſius obſcure bruneum WALLER. *Min.* p. 252.

Liquor

Liquor oleosus e terra prorumpens in pluribus Italiae locis, praecipue in agro Mutinensi e monte Cibinio, & in Galliae prouincia Auernia prope pagum Gabian, a quo etiam vocatur *Oleum Gabianum*, & alibi. Non nisi subtilitate & albore ab eo differt *Naphtha* veterum, cui vis ignium rapax, ita vt ex spatio protinus in eam transiliant; quae celebratissima olim erat circa Babylonem DIOSC. Vsus crebrior externus, quam internus est. Illo digerit, discutit, & emollit, hinc pernionibus illinitur, item pubi & perinaeo ad vrinam cohibitam ciendam, vmbilico etiam ad vermes eiiciendos. Interne adversus eosdem, & ad colicum dolorem commendatur, & ad lumbricos, a gutta vna ad quatuor.

Succinum s. Carabe.

Succinum pellucidum (album, & citrinum) WALLER. *Miner.* p. 261. Electrum diaphanum solidum LINN. *S. N.* p. 167.

Bitumen saporis quodammodo acris, odoris, cum in ignem proiicitur, specifici, non ingrati. E mare Baltico copiose colligitur; & e terris quoque eruitur. SENDEL *Histor. Succinor.* Virtus ei moderate calefaciens, siccans, & roborans est. Menses & lochia ciet, rheumaticis & catarrhalibus morbis medetur, tam interne sumtum ad scrupulum vel drachmam dimidiam, quam in suffitu. Vulneribus & vlceribus partium praecipue exsanguium mundificandi & consolidandi scopo vtiliter adhibetur.

Sulphur.

α) Sulphur viuum s. virgineum. Sulphur natiuum purum flauum WALLER *Miner.* p. 270. n. 1. β) Sulphur citrinum. Ex pyrite tostione & aliis operationibus edu-

citur. Prius in Heluetia vulgare: Pyrites in monte Rammelio & alibi reperitur.

Mixtum minerale ex acido vitriolico & phlogisto, vtrisque terrae immersis, arcteque inter se copulatis, constans. Vim habet sanguinem rarefaciendi, pituitam dissoluendi, & impuritates sanguinis per cutis poros expellendi, absque vlla sensibili caloris incensione; vermes denique eiiciendi. Vnde in tussi humida & asthmate, in scabie, & rheumatismo ac arthritide commendatur, BLAKMORE p. 84. Dosis ad scrupulos duos ascendit. A continuato vsu aluus laxa fit. Singulare etiam remedium est in haemorrhoidibus coecis cum tenesmo & aluo adstricta WERLHOF *obs. de febr.* p. 97. b. Ptyalismum quoque a mercurio suspendit; & in morbis acutis exanthematicis prodest. Exemplum taeniae per vim eius expulsae habet *van* DOEVEREN *diss.* Sed vbique pro interno vsu flores propter puritatem praescribendi sunt. Ab externo in scabie cauendum est.

CLAS-